

- 207 Opponunt III. Summo Pontifici, tanquam Supremo in Spiritualibus Principi, plenissimam facultatem circa res & bona Ecclesiarum disponendi competere cap. licet 2. de Præbend. in 6. Clem. si duobus 1. Ut lite pend. Ad eoque & aliis Principibus, in ordine politico Supremis, liberam disponendi facultatem circa res & jura subditorum cognatam esse. Sed, quàm lubrica & elumbis hæc sit illatio, liquet ex eo, quòd ipsum antecedens firmò non incedat vestigiò. S. Pontifex est absolutus rerum Ecclesiasticarum non tam dominus, quàm superna ordinatione constitutus administrator, cuius quidem est, liberè circa res & jura Ecclesiastica disponere, sed tum, quando à nullo sunt legitime possessa & occupata. Quando autem alicui in beneficio vel alio jure spirituali jus stabile quaeritum est, S. Pontifex nec vult, nec valet sine urgenti causa jus illud auferre, utpote qui hoc i. sum sufficienter expressit in Regula Cancellaria 16. (aliis 17.) de non tollendo jus quaeritum. Videantur Panormitanus noster ad c. constitutus 6. de Religios. Dom. à n. 12. Gibalinus Scientia Canonica lib. 8. princ. 2. q. 2. &c. Christophorus Döring de Jure Rescript. c. 2. th. 6. Joannes à Chokier in cit. Reg. Cancellaria n. 24. ubi ex Seraphino refert, fuisse decium coram R. P. D. Blanchetto in una Mediolanensi fractuum 24. Aprilis 1592. quòd Papa ne quidem ex plenitudine potestatis jus quaeritum tollat. Card. de Luca de Praeminent. disc. 40. n. 4. & de Regal. disc. 4. n. 10.
- 209 Dico II. Potest Princeps ex causa necessitatis vel utilitatis publicæ jus quaeritum subditis adimere. Ita Authores, pro prima conclusione laudati; quibus adimplantur Panormitanus alleg. loc. & ad cap. cognoscetes. de Constitut. n. 3. Felinus in cap. qua in Ecclesiis eod. tit. num. 26. & alii, quos longò syllabò recitat Ockenfetter Gabrielius. Ratio est I. quia in Principe talis est agnoscenda potestas, quæ moraliter est necessaria ad congruam & convenientem commissam Reipublicæ gubernationem. Sed potestas adimendi subditis jus antea quaeritum, in casu necessitatis vel utilitatis publicæ, est moraliter necessaria ad congruam & convenientem Reipublicæ gubernationem: si enim hanc potestatem Principi deesse supponas, non poterit ille vel conservare Reipublicam, in necessitate constitutam, vel ad meliorem statum evehere aliq. quòd infortunio graviter afflictam. Ergo &c.
- 211 Atque hæc est illa plenitudo potestatis; hoc illud emicans dominium; hic absolutus ille dominatus, quem melioris notæ Interpretes Principi adstruunt, quòd nempe de bonis civium in casu necessitatis vel utilitatis publicæ disponere valeat, prout salus & necessitas flagitat.
- 212 Ratio est II. quia, si casus necessitatis eveniat, aliunde primæva rerum redit communio cap. sicut ij. 8. Dist. 47. & si casus utilitatis publicæ contingat, dicitur justitia legalis, bonum publicum esse præferendum privato. l. ita vulneratus 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. lex 5.

§. ult. ff. de Injur. l. jubemus nullam 10. Cod. de SS. Eccles. l. multi 1. Cod. de Navib. non excus. Ergo in casu necessitatis & utilitatis publicæ potest Princeps subditorum jura invertere, & pro Reipublicæ totius commo applicare confirmatur. Melius est, perire unum, quàm 213 unum; melius, omnes esse felices, quàm aliquos. Ergo etiam melius est, ut in casu necessitatis vel utilitatis publicæ unus aut alter jure suo cadat, quàm ut omnium salus, jura & bona negligantur, aut periclitentur. Hinc bellissime Oratorum Rex 2. de Leg. Respublica, inquit, nomen universa civitatis est, pro qua mori, & cui nos totos dare, & omnia nostra ponere, & quasi consecrare debemus. Promoveretur 214 argumentum. Casus necessitatis nullò viaculo cohiberi, nullà Lege contineri potest per cap. discipulo 26. & c. seq. de Con. Dist. 5. c. quo non est 4. de R. I. Redoanus de Rebus Eccles. non alienand. q. 19. ubi à num. 28. per varia exempla probat, in casu necessitatis extremæ, quando periculum est in mora, res Ecclesiasticas sine solemnitate alienari posse; quam sententiam Inchyta Facultas nostra juridica non ita pridem, in gravi quadam controversia consultat, vetiorem judicavit. Casus verò publicæ utilitatis ideò privatam antecedit, quia pars est propter totum, ac utilitas, quam tota sentit communitas, per consequentiam etiam in partes dimanat. Ergo in utroque casu licitum est Principi, cum detrimento subditorum, labantem Reipublicam servare incolumem.

Ratio est III. à posteriori: quia Principes 215 hæc potestate de facto utuntur, non invitis sed annuentibus Legibus. Sic enim in casu necessitatis publicæ permittit Pontifex, bona Ecclesiastica tributis & collectis à Magistratibus Secularibus onerari cap. non minus 4. cap. adversus 7. de Immunit. Eccles. Sic in casu irruptionis aut obditionis hostilis suburbia, hortos, ædes, muris & munimentis damnosæ, dirui & destrui posse, antiquissima consuetudo in l. si quando 9. Cod. de Operibus publicis non obscure probata, docet. Sic in casu Præscriptionis ex motivo boni publici jus ab uno ad alium transfertur l. bono publico 1. ff. de Usurpat. & usucap.

Neque putandum est, Principem in talibus 216 circumstantiis quidpiam contra Juris Naturalis præcepta in n. 197. agere. Siquidem Naturalia præcepta triplicis sunt ordinis; alia quæ DEUM, alia quæ Reipublicam, alia quæ privatos respiciunt. Hæc si casu quòdam colliduntur, necesse est, inferiora superioribus, eaq. quæ privatos concernunt, reliquis, quæ ad Reipublicam pertinent, cedere, veluti constat ex l. veluti 2. ff. de I. & I. l. post limitium 19. §. 7. ff. de Capivo. & postlim. ubi pietas in patriam, tanquàm jure Naturali præcepta, singulariter commendatur. Unde eleganter Cic. ro. omnia inquit, quæ à nobis geruntur, non ad nostram utilitatem & commodum, sed ad patriam salvam conferre debemus.

Dico III. Quando ex causa necessitatis vel 217 utilitatis

utilitatis publicæ uni vel alteri de communitate jus ademptum est, illud proportionatè contributione ab omnibus de communitate refarciri debet. Ita ex citatis supra Authoribus Fachinæus d. lib. 8. cap. 63. quest. 5. Valquius d. cap. 5. num. 16. Ertl d. Exercit. 3. Colligitur ex l. mulier in opus. 6. ff. de Capivo. & postlim. l. multi 1. Cod. de Navib. 218 non excus. Ratio est: tum quia æquitate postulat, ut communitas, quæ ex bonis subditorum utilitatem experta est, onus

quoque proportionatum sentiat l. secundum naturam 10. ff. de R. I. tum quia onera communitatis per se communia & non singularia sunt l. prator ait 2. §. 22. ff. Ne quid in loco publico tum quia, sicut in Lege Rhodia, quòd levanda navis gratià salus mercium factus est, omnium contributione refarcitur, quòd pro omnibus datum est l. 1. ff. de Lege Rhodia, ita & in aliis communis necessitatis casibus communis compensatio faciendæ; quòdve deest personis singularibus, à communitate redhibendum est.

SECTIO III. De Effectu Juris Legalis.

SUMMARIA.

219. Adstruuntur effectus Legis. 220. Lex Naturalis & Divina potest obligare in conscientia. 221. & seqq. Etiam Ecclesiastica. 227. & seqq. Etiam Civilis. 231. & seq. Inducitur Vasquius. 233. Infinitatur varietas obligationis conscientia. 234. & seqq. Concluditur, & probatur, de facto omnem Legem propriè dictam in conscientia fringere. 238. & seq. Leges penales diversò conduntur modò. 240. Idem est de Legibus præscriptivis. 241. & seqq. Pena quoque non unius sunt generis. 244. & seqq. Lex purè penalis temporalis obligat ad solam penam. 248. & seqq. Dna objectiones enervantur. 253. & seq. Lex penalis temporalis, disjunctivè mixta, obligationem disjunctivam parit. 255. Aliud obinet, si Lex illa sit spiritualiter penalis. 256. & seq. Lex conjunctivè mixta simul ad actum & penam obligat. 258. & seqq. Mortua adversaria profertur. 262. & seqq. Infirmitatur. 266. Limitatio quædam apponitur. 267. Additur & amplior explicatio. 268. Pena ferenda sententia non obligat ante sententiam. 269. & seqq. Pena temporalis lata sententia non obligat ante sententiam declaratoriam. 272. & seqq. Etiam si clausulam habeat: alià declaratione non secuta. 275. & seqq. Diversum statuitur in Lege penali spirituali. 278. & seqq. Et negativa. 282. & seq. Discrimen inter sententiam condemnatoriam & declaratoriam indicatur. 284. Duplicitas Legis in præsumptione fundata. 285. & seqq. Regula discretiva præsumptionis generalis & specialis. 289. Nulla est Legis obligatio, quando, cessante præsumptione, nequit observari sine peccato. 290. & seqq. Lex, in præsumptione facti fundata, cessante præsumptione, non obligat. 293. & seqq. Offenditur hæc assertio per exempla. 301. & seqq. Obligat tamen Lex, in præsumptione generali fundata, licet præsumptio cesserit. 304. & seqq. Offenditur hæc conclusio ab inductione. 311. & seqq. Quidam Legem prohibentem ab irritante distinguunt. 314. & seqq. Alii consun-

ant. 317. Quibuscum sentendum sub alià qua limitatione. 318. Priorum rationibus satisfiit. 319. Leges irritantes subinde decernuntur in penam. 320. Hæc sequuntur naturam aliarum Legum penaliu. 321. Lex purè irritans sub tempore futuro non obligat ante sententiam. 322. & seqq. Lex purè irritans de presenti dupliciter concipitur. 324. & seqq. Obligat in conscientia ante sententiam ad omissionem actus, quando prohibitionem habet annexam. 329. & seqq. Obligat quoque universalsiter, ne quis ex actu irritato commodum aliquod querat. 344. & seqq. Demonstratur hæc doctrina per casus particulares in testamentis. 347. & seq. In alienationibus. 349. & seqq. In electionibus. 352. & seq. Adducuntur Regula diversorum Ordinum. 354. Disjunctur illarum obligatio. 355. De regula S. Basilii remissivè. 356. & seqq. Regula S. Augustini non obligat sub peccato. 359. Bene tamen Regula S. Francisci. 360. Constitutiones Societatis etiam non obligant sub culpa. 361. & seqq. Varia opiniones de Regula S. Benedicti. 364. & seqq. Defenditur sententia, negans obligationem conscientia. 376. & seqq. Argumenta nobis adversaria referuntur. 382. & seqq. Resolvuntur. 391. & seq. Declaratur nostra sententia. 393. Nova questio de gravitate Legalis obligationis. 394. Desumitur ex materia. 395. & seq. Materia debet spectari, prout subsistat intentioni Legislatoris. 397. Intentio colligitur ex verbis. 398. Vel ex pena. 399. Vel ex consuetudine. 400. Materia levis non recipit gravem obligationem. 401. & seqq. Neque materia formaliter gravis obligationem levem. 404. Lex Naturalis, continens absolutam turpitudinem vel honestatem, obligat cum periculo vita. 405. Non item, quando non est absoluta. 406. Lex Divina non semper tan graviter obligat. 407. Neque humana. 408. Quando magis conducit ad bonum commune, Lex observari, quàm vitam conservari, Lex obligat cum periculo vita. 409. Explicatur exemplis.

§. I.

Obligétne Lex omnis in Conscientia?

219 Nter varios Juris Legalis effectus, actus, & ut alii loquuntur, officia, cujusmodi

sunt, præcipere, prohibere, permittere, punire; primus, proprius, & principalis est obligatio

gatio passiva in subdito, quatenus mandato Superioris, per Legalem promulgationem expresso, obedire tenetur. Magnif. Pettschacher de LL. quest. 2. art. 1. Num verò omnis Lex obliget in conscientia sub reatu culpæ mortalis aut venialis? Hic discutendum, & ante resolutionem

- 220 Præmittendum I. in omnium sententia Legem Divinam & Naturalem posse obligare in conscientia. Habet namque Lex Divina & Naturalis pro Causa Efficiente DEUM, cui non tantum conscientia nostræ sunt aperta & subiecta, sed etiam potestas competit, reatum æternæ pœnæ inducendi, & exequendi.
- 221 Præmittendum II. inter Doctores Catholicos, attestante Suarezio de LL. lib. 4. cap. 17. & Iustitiant Theologorum & Juristarum, postea citandorum, calculo, certum esse, quòd etiam Lex Ecclesiastica vim obligandi in conscientia habeat. Ita enim verò luculenta Divinarum paginarum testimonia. *Matth. 16. & 18. Joannis 21. Act. 15. Rom. 13. 1. Petri 2.* nec non aperta ratio manifestè convincunt. Dum enim Ecclesiæ potestas regendi fidelium conscientias, utendi gladiò spiritualis vindictæ, claudendi & referendi cælum, est concessa: pariter concessa erit facultas ligandi conscientias. Et licet ab hac sententia dissentisse videatur Vir suò avò famigeratissimus Joannes Gerson *Part. 3. tract. de Vita Spiritualis sect. 4. alphabeto 62.* duabùs potissimum rationibus permotus; primà: quia nemo potest obligare in foro superiori, & ad pœnam, quam infligere nequit; alterà: quia ex definitione D. Augustini omne peccatum est dictum, factum, vel concupitum
- 222 contra Legem DEI. Nihilominus standum est communi Catholicorum sententia, atque ad oppositas rationes dicendum: homines, ut delinquendò contra Leges Ecclesiasticas, indiractè delinquant contra Legem Divinam, utpote cùm ex quarto Decalogi præcepto jubeantur Superioribus justa & justè præcipiendis obedire: ita & pœnam æternæ mortis, ex transgressione Legis Ecclesiasticæ promeritam, indiractè ab hominibus, indiractè à DEO statui & infligi. Exemplum dari potest, tum in Lege Principum inferiorum, qui ex potestate concessa quandoque Leges ferunt sub pœna mortis temporalis, ita tamen, ut potestas ultimata puniendi Supremo Principi referretur: tum in voto, cujus emissio voventem obligat obedire Prælato, qui alioquin potestatem præcipiendi non haberet. Atque in hoc sensu ipsimet Gersonem locutum fuisse, patet ex eo: quia non absolute asserit, Leges, quæ ab hominibus feruntur, non obligare in conscientia, sed non obligare, quâ ab hominibus latas. Quod idem est, ac vires suas accipere à DEO, qui Superioribus & Præpositis nostris reverentiam & obedientiam exhibere nos voluit; adeò ut, hòc mandatò præcisò, nulla esset obligatio in conscientia, Legibus Eccle-

sialicis obtemperandi. Caramuel *Theologia Regularis Disput. 3. art. 2. n. 35.*

Præmittendum III. pro certo etiam tene-227 ri à modernis Doctores, quòd Civili Legislator possit reatum in conscientia inducere. Ita post Suarezium, qui lib. 3. cap. 21. num. 5. hanc sententiam, vel de fide vel fidei proximam esse, asseverat, ex nostris Illustrissimus Reding de LL. quest. 16. art. 3. Contr. 1. num. 6. Doctissimi Sant-Gallenses *sect. 3. q. 1. concl. 3.* Magnif. P. Pettschacher *d. quest. 4. art. 4. concl. 1.* Magnif. P. König *ad tit. de Constitut. n. 23.* Clariss. P. Engel *ad eund. tit. n. 36.* Clariss. P. Mezger *Theol. Schol. tract. 8. disp. 35. art. 1. num. 1.* D. Gletle *Part. 1. Pandect. q. 3. num. 3.* Ratio est: tum quia Lex Divina 228 præcipit, ut Secularibus quoque Magistratibus in conscientia obsecundemus, velud apud *Matthæum cap. 18. Lucam cap. 10. Prov. 8. 1. Petri 2. ad Rom. 13. & 5. ibi: propter conscientiam &c.* legere est. Ut proinde Lex Civilis, et si ex voluntate Legislatoris humani non obligaret, obligaret tamen ex voluntate Divina: tum quia Potestas Civilis, virtute stringendi 229 conscientiam desinita, planè infirma, vacua, & inefficax foret, Legesque, in foro solum externo vim obtinentes, plerique subditorum vel eluderent, vel occultà transgressione circumvenirent: tum quia Legislator Civilis 230 etiam virtutis honestatem respicit, atque externam Reipublicæ quietem ita præ oculis habet, ut tamen honestatem, cum honestate conscientiam, cum hac obligationem intendat.

Quare non attendendum censèo, quòd 231 aestimatissimus alioquin Vaquius, vix non aperius adversi dogmatis asseritor, *Illustr. quest. cap. 29. n. 1.* objicit: totam Legum Civiliùm Potestatem à populo in Principes, non ad regentium, sed subditorum utilitatem esse translata; quibus perniciosissimum esset, si ad mortem æternam Leges illæ, aut præcepta Principis, cui ipsimet Jurisdictionem dederunt, converterentur. Supponit 232 siquidem Vir Eruditissimus, populo seu communitati perfectæ vim obligandi in conscientia deesse; quòd tamen suppositum ex dictis nullò negotiò refellitur, atque ex eo, quòd Potestas Civilis in genere facultatem obligandi conscientiam accepit, legitime infertur, quamlibet Republicam, sive ad Monarchiam, sive ad Democratiam, sive ad Aristocratiam, sive ad formam & politiam aliam deflectat, simili Potestate condecoratam esse, eandemque vim non tam ad regentium, quàm subditorum utilitatem spectare, utpote quorum interest, Leges, ad communem felicitatem rogatas, non tam facile sperni, aut fraudari posse.

Præmittendum IV. obligationem in con-233 scientia dari, vel ad solum actum ponendum, aut omittendum; vel ad solum pœnam; vel ad actum simul & pœnam. Undenam id colligi debeat? In §. seq. declarabitur. Hic verò solummodò quaeritur: an Lex propriè dicta obli-

obliget in conscientia ad actum vel ad pœnam? Pro responsione

- 234 Dico: De facto omnis Lex propriè dicta obligat in conscientia vel ad actum, vel ad pœnam, vel ad utrumque. Sic ex Authoribus, in num. 227. adductis, concludunt Suarez cap. 22. n. 5. Pettschacher *concl. 3.* Mezger n. 3. Gletle n. 4. & Castropalao *punct. 14. n. 4.* Ratio principalis est: quia Lex distinguitur essentialiter à consilio in hoc, quòd Lex parenti necessitatem inducat; consilium liberatè sequendi relinquit. Ergo ut Lex propriè talis sit, debet obligare in conscientia. Confirmatur I. Omnis Legislator, Divinus & humanus, Sæcularis & Ecclesiasticus, habet potestatem obligandi in con-

scientia, ex dictis antè; cui si insuper accedat obligandi voluntas, implicat, obligatoriam non induci. At ubi Lex publicè promulgatur, satis ostenditur obligandi voluntas. Ergo &c. Confirm. II. Lex omnis 236 vel est justa, vel injusta. Si justa; mox Divina Lex exurgit, ac justa statuentibus obtemperare mandat: indeque profrixè decantatum illud brocardicon: *Lex justa in foro externo, est justa in foro interno.* Si injusta; aliunde nulla est. Confer. Paluum *cit. l. n. 8. & seqq.* Quæ huic asserto repugnare possent, sunt 237 variae instantiæ de Legibus pœnalibus, in præsumptione fundatis, irritantibus, Regularibus, &c. de quibus in §. seq. sigillatim agam.

§. II.

Quomodò & quando Leges pœnales obligent in Conscientia?

- 238 Sciendum I. Leges pœnales diversimodè concipi. Quandoque sola pœna transgressoribus imponitur, absque eo, quòd actus vel præcipiatur tanquam ponendus, vel prohibeatur tanquam omittendus. E. G. Princeps venationem prohibebitur, statuit in hac verba: *qui deinceps venatus fuerit, 10. aureis multabitur.* Et tale statutum Lex purè 239 pœnalis vocatur. Nonnunquam præter impositionem pœnæ aliquid præcipitur, aut vetatur; Idque vel conjungendò pœnam cum actu, v. g. *nullus frumentum evehat ex provincia; qui frumentum eveherit, nullà pecuniaria castigabitur: vel distinguendò pœnam ab actu v. g. nullus frumentum evehat ex provincia; aut qui evehere tentaverit, pro arbitrio Judicis pœnas dabit.* Cui præcipiendi modo Magnif. & Reverendiss. D. Alphonsus Stadlmayr *dd. LL. c. 4. th. 4.* putat, non improbabiler accenseri eam præcipiendi formulam, quæ verba præceptiva potius pœnam determinant, quàm præceptum important, v. g. *mandamus sub pœna 10. aureorum &c.*
- 240 Sciendum II. unà & generali regulà definiti non posse, quandonam Lex censetur esse præceptiva. Quædam enim verba certò præceptum important; quædam solummodò consilium inducunt; quædam ambigua sunt. Verba certò præceptum affirmativum significantia ex communi DD. reputantur præceptiva, jubeo, nimpéro, mando; negativum: *prohibeo, inhibeo, veto, interdico.* Verba consilium denotantia alimantur sequentia: *hortamur, monemus, suademus &c.* Verba ambigua creduntur: *debet, oportet, intendimus, ordinamus, statuisimus, constituisimus, innovamus, volumus, decernimus, sancimus; & denique verba imperativi modi: facite, caveo, solvite, abstineat omnes, nemo presumat &c.* De quibus videri possunt prolixius agentes P. Ferdinandus de Castropalao *disp. 1. punct. 9.* & P. Ferdinandus Krimer *ad tit. de Constit. à n. 263.*
- 241 Sciendum III. in Legibus pœnalibus non unum discrimen occurrere. I. enim pœnæ,

quæ Legè statuantur, sunt vel spirituales, ve temporales. Spirituales sunt, quæ bonis & juribus spiritualibus; Temporales, quæ bonis & juribus temporalibus aliquem privant. II. 242 aliæ pœnæ sunt positivæ, aliæ negativæ. Positivæ dicuntur, quæ actionem aliquam, vel à delinquentem vel persona tertiam ponendam, ad sui executionem postulant, quales sunt confiscatio bonorum, restitutio fructuum, mutilatio membri, ademptio vitæ &c. Negativæ vocantur, quæ nullam actionem ad sui executionem desiderant, sed meram inhabilitatem ad acquirenda bona vel jura de novo important. Gibalinus *Scientia Can. l. 4. c. 8. q. 7. num. 2.*

III. pœnæ quandoque sunt latae 243 tæ; nonnunquam ferendæ sententiæ. Lata sententia nuncupantur illæ pœnæ, in quibus ipsa Lex executorem quasi agit, statuendò & inferendò supplicium ab ipso punctò transgressionis; quòd tunc facere dignoscitur, quando utitur verbis præteritis temporis indicativi modi; e. g. *excommunicamus, privamus, inhabilitamus; vel ipso Jure & facto excommunicatus, privatus, inhabilitatus est, &c.* Suarez de LL. lib. 5. cap. 6. n. 26. Ferenda sententia nominatur ille pœnæ, in quibus non ipsa Lex pœnam executeur, sed alteri executionem mandat; ut si Legislator vel tantum comminetur pœnam v. g. *sub pœna suspensionis, infamiae, confiscationis &c. interdico; vel assumat verba futuri temporis, v. g. excommunicaberis, suspendaberis, puniaberis &c.* Cujusmodi formulas accuratissimè explorat, & enucleat citatus Suarez *101. cap. 6. cir. quem pari operâ secutus est Palao disp. 3. punct. 16.* His, ad sciendum præmissis,

Dico I. Lex purè pœnalis temporalis non 244 obligat in conscientia ad actum, sed ad solum pœnam. Ita cum Suarezio de LL. lib. 5. cap. 4. num. 9. Reding *cit. q. 16. art. 3. Controv. 1. n. 14.* Caramuel *Theol. Regular. Disp. 3. art. 1. n. 30. & seqq.* Pettschacher *d. disp. 3. art. 1. n. 3.* Sant-Gallenses *d. q. 3. concl. 4.* Palao *d. tr. 3. disp. 1.*

- disp. 1. p. 11. C. 15. n. 8. contra Sylvestrum, Armillam, Medinam, Rodriguez & alios, à 245 Palao enumeratos. Ratio est I. Quando Legislator non vult obligare in conscientia ad actum, sed ad solam poenam, non confurgit obligatio, nisi ad poenam, post violationem Legis subeundam. Uti enim ex voluntate Legislatoris pendet, velint Legem ipsam condere; sic quoque pendet ab eius voluntate, quousque Legis obligationem protendere velit. Sed quando Legislator non utitur verbis præceptivis, sed Legem merè poenalem constituit, sufficienter declarat, quòd ad solam poenam obligare velit. Ergo &c.
- 246 Confirmatur. Quando versamur in dubio, fueritne obligatio inducta, nec ne? Multò priorior ad minuendam, quam augendam obligationem, ipsamet Jura suos cupiunt esse Interpretes cap. 57. de R. l. in 6. l. semper in dubiis 56. l. ea que 192. §. n. ff. eod. Ergo tamen si dubium esset, obligetne Lex purè poenalis ad solam poenam, vel ad actum simul, atamen per sola obligatione ad poenam Lex interpretanda foret.
- 247 Ratio est II. DEUS non tenetur obligare in conscientia ad actum, sed potest ad solam poenam Legis obligationem restringere. Ergo etiam Legislator humanus: cum hujus judicio tribuendum sit, præstetne obligare ad solam poenam, vel poenæ actum connectere. Atqui Legislator humanus nequit mentem suam de sola obligatione poenali melius aperire, ac si actum determinat nec præcipiat, nec prohibeat, sed supplicium duntaxat transgressoribus minitetur: tum quòd sciat, sententiam hanc passim doceri & practicari: tum quòd ipsa Legum interpretes consuetudo quasdam Leges esse purè poenales attestetur. Ergo Lex purè poenalis ad poenam tantummodò subditos directè habet obligatos.
- 248 Dices I. poena supponit culpam: quoniam rem, qua culpa caret, in damnum vocari non convenit, uti reverè Magnus noster Gregorius, in cap. cognoscens 2. de Constitut. relatus, edisserit. Ergo Lex, obligans ad poenam, obligat pariter ad culpam: ergo ad actum.
- 249 Resp. cum communi, duplicem esse culpam, Theologicam & Juridicam. Juridica est deviatò à regulis bonæ politię; Theologica est deviatò à regulis morum. Illa Republicam; hæc DEUM offendit. Sufficere autem culpam Juridicam ad incurrendam poenam temporalem, inde elucescit: quia, qui Republicam turbat, & Legibus, pro bono publico politico latis, se se non conformat, Republicæ odium in se concitat. Eaque de causa in cap. 23. de R. l. in 6. dicitur: sine culpa, nisi subita causa, nemo puniendus est.
- 250 Dices II. quando Legislator vult actum, Lex obligat ad actum. Sed, tamen si ferat Legem purè poenalem, vult actum: quippe qui poenam hunc in finem interminat, ut actus eò certius vel fiat, vel non fiat. Ergo Lex purè poenalis obligat ad actum
- 251 Resp. distinguendò maj. quando Legislator

vult actum, obligat ad actum, vel sub culpa Theologica, vel sub culpa Juridica, concedo maj. sub sola culpa Theologica, nego maj. Vel distinguo aliter. Vult actum absolute & determinatè, nego maj.; conditionatè & indeterminate, hoc est, vel actum vel poenam, concedo maj. & sub eadem distinctione nego & concedo conseq. Neque necessum 252 est, neque expedit, multiplicare peccata & culpas Theologicas, ne Leges non tam alas quam compedes injiciant pro adipiscenda æterna felicitate. Ergo tamen si Lex purè poenalis intendat actum, satis tamen est, si obliget ad actum sub culpa Juridica, cui non infinita, sed finita poena correspondet.

Dico II. Neque Lex poenalis temporalis, 253 disjunctivè mixta, obligat in conscientia determinatè ad actum, sed indeterminate vel ad actum vel ad poenam. Authores supra relati. Ratio est: quia Legislator Legem disjunctivè concipiendò manifestè indicat, se nolle determinatè ad actum obligare, sed indeterminate: cum ea particula alternativæ & disjunctivæ natura sit, ut unius tantum adimpletionem contenta maneat cap. in alternativis 70. de R. l. in 6. Quin & si dubium 254 foret, utrùm Legislator per similem Legem ad actum determinatè velit obligare; nihilominus ex præfatis Juris aphorismis denuò in benigniorem partem interpretatio formari debet. Ergo Lex poenalis, disjunctivè mixta, non obligat determinatè ad actum.

Dixi tamen in utraque conclusione: Lex 255 poenalis temporalis. Enimverò si Lex poenam spiritualem in transgressores fulminet, per necessariam connexionem ad actum obligare censetur. Ratio est: quia poenæ spirituales, ut justè & jure dicuntur, culpam non qualemcumque sed Theologicam prærequirunt per cap. nemo Episcoporum 41. & seq. XI. q. 3. Ergo hocipsò, quòd poena spiritualis in Lege præfigatur, colligitur, quòd Legislator etiam ad actum obligare voluerit. Suarez cit. cap. 4. n. 10. Palao d. puncti. 15. n. 2. Pettichacher d. art. 4. post conclus. 4. V. Resp. 2. Gletle Jurisprud. fund. lib. 1. tit. 2. cap. 3. §. 8. n. 8.

Dico III. Lex poenalis, conjunctivè mixta, 256 verba certò præceptiva continet, probabilius ad actum & poenam obligat. Haunold de I. & I. tom. 1. tr. 1. n. 45. Covarruv. in regulam peccatum part. 2. §. 5. n. 2. & 3. & potior pars ex Authoribus, pro prima conclus. allegatis. Ratio est I. quia, supposità potestate & voluntate Legislatoris de inducenda obligatione ad actum, certò consequitur obligatio, juxta vulgatum principium, quòd ad obligationem plura non exigantur, quàm voluntas & potestas. At in Lege, conjunctivè mixta, perspicuè relucet voluntas Legislatoris, aliunde potentis, de inducenda obligatione in conscientia ad actum: hunc etenim præceptivè præsumitur, ut à subdito redigatur in opus. Ergo &c.

Ratio est II. adjectivè poenæ non alleviat, 257 sed aggravat obligationem: neque enim Legislator

gislator alium in finem supplicium delinquentibus statuit, quàm ut magis magisque à facilitate delinquendi cohibeantur. At Lex præceptiva simpliciter, & sine adjectione poenæ prolata, obligat in conscientia ad actum. Ergo etiam Lex poenalis, conjunctivè mixta, seu præceptiva sub poena. Certè reperias homines, qui solà poenæ exterioris formidine à Legum declinatione non refrænentur: quorum protervia ut repagulum obijciant Legum parentes, non tantum possunt, sed & volunt ad actum & poenam subditorum conscientias esse gravatas.

258 In sectam oppositam concedunt Navarrus in summa c. 23. n. 55. & lib. 1. conf. 3. & alii, quos citat Palao d. puncto 15. n. 6. hisque accedit à fortiori Valquius, jam supra auditus Illustr. controver. c. 29. Moventur I. quia subditis non sunt injicienda & multiplicanda conscientię vincula, quibus à salute ad perditionem rapiantur. II. quia ipsimet Legislatores graviter invigilant, & cavent, ne subditi ex transgressione Legum spirituali damno implicentur per textum notabilem in l. qua sub condicione 8. in pr. ff. de Condit. Institut.

260 II. quia Legislatores, præsertim infideles, sæpe non cogitant de obligatione in conscientia, contenti solà obligatione ad poenam. 261 IV. quia statuta plurium Collegiorum, Academicarum, Civitatum, &c. etiam præceptiva sint, non inducunt obligationem ad actum.

262 Sed tanta non sunt hæc motiva, ut sequelam persuadeant. Primum supponit, non esse necessariam obligationem in conscientia in singulis Legibus; & bene supponit. Quia tamen Legislatores incumbit, perspicere & definire necessitatis articulum, idèò, si præceptivè quid statuat, præsumitur necessarium judicasse, ut Lex in conscientia ad actum obliget.

Alterum videt ut coincidere cum primo, simulque omnem Legalem obligationem sufflaminare, tanquam nutritivam & fructicem damnorum spiritualium. Sed inceptè. Leges non feruntur, ut frangantur, sed servantur. Non malè, sed benefacere docent. Non illaqueant, sed laevi vinculo ligant conscientias, ne à recto deviant. Jamque tritum est, ex malis moribus nasci bonas Leges, sed, ut alicubi perorat floridissimus D. Braun, ut ex vipera vipera: hoc enim nascendum a virenae

264 ac: sic Leges malas mores. Ad tertium Resp. sicut ad primum, ex verbis præceptivis intentionem obligandi desumi. Adde ex Suarezio lib. 5. cap. 2. num. 12. vim præcepti sufficere ad inducendam obligationem conscientię, etiam si Princeps non exprimat: quia præcepta Superiorum ex naturali dictamine servanda sunt. Et quia Princeps infidelis verus est Superior, hinc illius quoque præceptis subditi infideles alligantur, tamen si per accidens circa conscientię obligationem vel in errore inculpabili vel in ignorantia affectata versentur.

Ad quartum Resp. cum P. Mezger, statuta præmemorata neque Leges, neque consilia in proprio sensu vocari

posse. Non Leges, quia non obligant. Non consilia, quia non suadent, sed præcipiunt. Quid ergo? Simplicis quadam regulæ & ordinationes appellandæ videntur, sicut Regulæ SS. Ordinum; de quibus in §. 5.

In eo tamen casu cum Suarezio d. lib. cap. 4. 266 num. 9. & Palao d. puncto 15. n. 10. in sententiam Navarri & Valquii non invitus transeo, quando verba ut præceptiva non sunt, aut dubia, aut aliunde, spectatis omnibus, non sufficienter constat de mente & voluntate Legislatoris. Tunc enim ratio illa de non multiplicandis præceptis eò magis stringit, quòd plura alia Juris principia consuevit, quòd in dubio minorem, faciliorem & benigniorem interpretationem amplexi deceat. Ut præteream, verba præceptiva Legibus & statutis sæpius ex stylo curiæ, formulariæ cancellariarum, aut manu scolarum, quam jussu Legislatoris inferi: quibus eapropter unice fidendum non est.

Neque ab hac opinione recedendum exit 267 stimo, quantumcumque gravis poena temporalis videatur imposita, ut solidè demonstrant Palao d. l. n. 12. & seq. & D. Gletle cit. 1. part. quæst. 3. n. 5. Nam citra injustitiam potest consistere gravitas poenæ temporalis cum sola culpa Juridica. Exempla sunt in militibus, in inclusis in carcere, & aliis, quibus aufugere, aut à statione sua discedere, sub poena capitis, mutilationis, infamiae &c. non licet. Ergo comminatio gravioris tormenti non est evidens signum culpæ Theologicae.

Dico IV. Quando poena seu spiritualis, seu 268 temporalis, est ferendæ sententiæ, Lex poenalis non obligat ad poenam subeundam, ante sententiam condemnatoriam. Ab hac conclusione vix ullus dissentiet. Ratio plana est. Tempus obligationis non minùs quam substantia pendet à voluntate Legislatoris. Hic autem statuendò poenam ferendæ sententiæ non monstrat, quòd ante sententiam velit obligare: idèò enim ad sententiam reflectere videtur, ut ostendat, non ipsam Legem, sed Judicem pro executore supplicii deputatum esse. Ergo Lex poenalis ferendæ sententiæ ante sententiam condemnatoriam non obligat.

Dico V. Quando poena temporalis & po- 269 sitiva est latæ sententiæ, Lex poenalis non obligat ad subeundam poenam, ante sententiam declaratoriam criminis. Suarez d. l. 5. cap. 7. n. 5. Palao de LL. diff. 2. puncti. 2. n. 6. Molina de F. & J. tom. 1. tract. 2. diff. 96. n. 5. & seq. & diff. 176. num. 20. Lessius de F. & J. lib. 2. cap. 29. dubi. 8. & ipsam cap. 34. dub. 34. c. 35. dub. 26. Gibalinus Lib. 4. c. 8. n. 10. & seq. Haunold de F. & J. tr. 1. num. 98. & seq. Mezger d. diff. 35. art. 2. n. 4. Probatur hæc sententia efficaciter ex cap. cum secundum 19. de Hæreticis in 6. ubi confiscatio bonorum, que procul dubiò est poena positiva, ipsò jure & factò sancitur in hæreticos; nihilominus decernitur, bona hæreticorum occupari aut abripi per Principes & alios Dominos

minos temporales non debere, antequam per Episcopum loci aliamve Personam Ecclesiasticam, que super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata. Ex qua constitutione patet, bene hæc duo simul esse & conuenire: poenam ipsò Jure committi, ac poenæ executionem pendere ex sententia. Gletle cir. Jurisprud. fund. c. ult. §. ult. num. 11.

271 Ratio palmaris est: quia Leges non nimium asperæ & acerbæ, sed moribus utentium accommodatæ & temperatæ sint, oportet. At temperamentum omne Leges viderentur excedere, si ad poenas positivas, ante sententiam declaratoriam, obstringerent. Debet enim imprimis delinquens occultum delictum manifestare, & quæ accusatorem agere. Deinde teneretur esse Judex in propria causa, non studio sed odò propriæ personæ exasperatus. Denique tortor & carnis sibi, suoque corpori, suæque rei existere compelleretur. Quæ omnia munia tanta sunt onera, ut, si non importabilia, certè oppidò graua & difficilia iudicentur.

272 Exceptionem ab ista assertione faciunt cum aliis pluribus Suarez d. l. s. c. 8. num. 19. Molina cir. disp. 96. n. 6. Gibalinus d. cap. 8. sub num. 12. quando in Legibus inventur hæc vel similibis clausula: nulla alià declaratione secuta. Illa siquidem verba ipsò factò, inquit, continent sententiam condemnatoriam; & addendò clausulam, alià declaratione non secuta, expresse excludunt necessitatem sententiæ declaratoris. Ergo Lex, tali modò concepta, & statim condemnata, & per se sine factò hominis poenam exequitur.

273 Eandem verò exceptionem rejiciunt Covarruv. de Matrimon. part. 2. cap. 6. §. 8. n. 13. propè fin. Palao d. punct. 2. num. 8. Mezger d. art. 2. n. 8. Lessius, postea citandus, alique apud hos reperendi: tum quia rationes, quibus proximam conclusionem communiter stabiliunt DD. hic quoque vim & vires habent: tum quia clausula, alià declaratione non secuta, non de declaratione criminis, sed poenæ exaudienda videtur, quòd videlicet poena post declarationem criminis debeatur in conscientia, esto in sententia nulla mentio de poena sit facta. Quæ explicatio (sunt verba perspicacissimi Lessii cir. Lib. 2. cap. 29. dubit. 8. n. 63.) est non nihil videatur vix lenta, tamen usus ipsè eam confirmat. Enim sunt usu receptæ Leges hujusmodi, ut ante declarationem criminis possessores (intellige bonorum, officiorum, beneficiorum) non teneantur resignare. Imò (pergit commendatus Author) usus habet, ut nisi executio fiat per sententiam, ita ut per eam non solum declaratur crimen, sed etiam reus ipse privetur beneficio vel officio, non censetur omninò privatus. Sic Lessius, & valde probabiliter.

274 Dico VI. Quando poena lata sententiæ est spiritualis vel negativa, Lex poenalis ante omnem sententiam, etiam declaratoriam criminis, obligat in conscientia. Conclusio est

bimembris, & defenditur quoad primum membrum à Molina cir. disp. 96. n. 2. ubi testatur, in hoc omnes DD. consentire; Suarez d. l. s. cap. 8. n. 1. ubi meminit, hæc doctrinam esse communem, ac fere sine controversia; Palao d. punct. 2. n. 1. ubi asseverat, DD. hic convenire; Mezger, & alii paulò antè nominati. Probari potest ex cap. non de-276 binis §. de Sent. excommunicat. ubi Alexander III. declarat, eos, qui violentas manus in personas Ecclesiasticas iniiciunt, ex constitutione Concilii sententiam excommunicationis incurere. Non dicit Pontifex, sententiam esse expectandam, sed à Concilio jam latam, à primo commissi sceleris momento obligare. Et 277 ratio est I. quia spirituales poenæ, per quas censuras Ecclesiasticas, nec non irregularitatem, intelligo, non desiderant externam actionem aut executionem. II. quia spirituales animarum profectum pro fine habent; sicque in toro animæ stringunt, esto in foro fori nec iudicium nec sententia præcesserit. III. quia sic usus Ecclesiæ, cuius interest, occultas quoque transgressiones gladiò spiritualis imperii cohereri posse, commoñstrat.

Quoad alterum membrum, præter Au-278 thores modò adductos, vix non universi nobiscum sentiunt; nominatim Gibalinus d. c. 8. q. 7. sub n. 12. Laymann Theol. Moral. l. 1. tr. 4. c. 15. n. 5. Gletle d. c. ult. §. ult. num. 13. Deducitur L. ex cap. licet 14. §. c. commissi 33. de Elect. in 6. in quibus textibus de promotis ad beneficia curata cavetur, quòd, si intra annum Sacerdotium recipere neglexerint, Ecclesiæ sibi commissæ, nulla etiam monitione præmissa, præsentis constitutionis auctoritate sint privati. II. ex cap. cum singula 32. de Prob. in 6. 279 ubi, qui secundum beneficium incompatibile cum primo sunt adepti, ipsò Jure eòdem privantur; ac, si non ultrò cesserint, & secundum amittunt, & ineligibiles evadunt. III. 280 ex cap. super voc 3. §. cap. significasti 6. §. tor. tit. de eo, qui duxit in matrimonium &c. ubi in poenam conjugidii & adulterii impedimentum matrimonii in complices criminis, sine dubio ipsò factò in conscientia contrahendum, statuitur.

Ratio est. Communitas, isque, qui com-281 munitati præest, habet distributionem jurium & bonorum communium; neque teneatur ejusmodi bona & jura illis deferre, qui transgressione saluberrimarum LL. favoribus communibus reddidit semet indignos. Ergo sicut privatus bonis suis jus dicere potest; sic Legislator bonis communibus valet conditionem imponere, atque in poenam delicti constituere, ut transgressores ad ejusmodi bona nullum habeant accessum. Quæ constitutio fortietur effectum statim à tempore perpetrati criminis: quia salva conscientia non licet appetere, minis suscipere munus, cujus quis incapax esse prænotificat.

Si pro majori dilucidatione hæctenus deci-282 forum petas: quænam in effectu sit differentia, an per sententiam Judicis condemnatoriam, vel

vel declaratoriam inferatur poena? Clarissimè pro more suo respondebit Clarissimus P. Engel ad tit. de Constitut. num. 43. hæc esse differentiam, quòd poena illata per sententiam Judicis debeatur primùm à die sententiæ; poena autem illata à Jure, & postea per sententiam declarata, debeatur non tantùm à die declarationis, sed retrò à die commissi criminis, ipsò 283 Jure poenam annexam habentis. Si ulterius istes, & roges, an non ergo frustraneum sit illud jus retinendi interea poenam v. g.

fructus beneficiales, ipsò Jure amissos, in conscientia, si post declarationem omnes, etiam retrò percepti, restitui debeant? Illterius reponet idem Clarissimus Author, illud jus retinendi in conscientia neutiqum frustraneum esse, fed hoc operari, quòd res aut fructus, ipsò Jure amissi, non amplius extantes, sed interim consumpti, five eorum æstimatio aut pretium, si exinde possessor tempore declarationis non sit locupletior effectus, in restitutionem non veniant.

§. III.

Quando & quomòdò Lex in præsumptione fundata liget in conscientia?

284 Prænotandum I. Legem in præsumptione fundatam censerì, quæ ex conjectura certa cujusdam circumstantiæ aliquid præcipit, vel prohibet: ejusque Legis communitate duas assignari species, juxta duplicem præsumptionem Juris & facti, in qua fundatur. Lex in præsumptione Juris seu, ut aliis placet, in præsumptione communis periculi fundata dicitur, quando prohibet actum de se periculosum, damnis fraudibus, & inconvenientiis communiter obnoxium, ac plerumque multis incommodis subiectum. Lex in præsumptione facti fundata nuncupatur, quæ ex conjectura determinatæ & particularis cujusdam circumstantiæ aut qualitatis pro hoc vel illo casu quidpiam jubet, aut vetat.

285 Prænotandum II. ex mente Suarezii lib. 3. de LL. cap. 23. n. ult. certam regulam in particulari tradi non posse, sed ex materia, verbis, usu, & communi Legis interpretatione desumendum esse: sitne Lex in præsumptione facti vel Juris fundata? Attamen ex doctrina Clarissimi D. Gletle 1. part. Pandect. quest. 3. num. 6. sequentes Regulas propositæ materiæ non parum quadrare.

286 I. Regula. Quando Lex actionem aliquam prohibet, tanquam unice obnoxiam periculo nocumti privati: vel quando circumstantiâ aut qualitate respicit, quæ unice concernit bonum privatum singulorum, censetur esse in præsumptione facti fundata. Ratio est: quia finis, quem præ oculis habuit Lex, fuisse creditur, ut vel bonum particulare promoveatur, vel damnum singulare avertatur.

287 II. Regula. Quando Lex actionem aliquam prohibet, tanquam obnoxiam periculo nocumti publici, censetur esse fundata in præsumptione Juris & communis periculi. Ratio est: quia finis primarius talis Legis fuisse præsumitur, consulere bono publico. Ergo commune periculum, & non particulares casus, respexisse videtur.

288 III. Regula. Quando via esset inventa eludendæ Legis, si obtentu cessantis periculi desistere liceret à norma, Lege præscriptâ, censetur Lex esse fundata in præsumptione Juris & periculi generalis. Ratio est: quia non est prudenter credibile, quòd Legislator ferre intendat Legem, cujus dispositionem eludere P. SCHMIDT JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.

callidâ machinatione liceat: quia non est prudenter credibile, quòd ferre cogitet Legem imperfectam, bonoque publico parum aut nihil proficuum. Ergo si obtentu cessantis periculi Legem declinare, & eludere liceret, Lex censetur esse in præsumptione Juris & generalis periculi fundata.

Prænotandum III. quasdam Leges, in præ-289 sumptione fundatas, non posse servari sine peccato, si præsumptio in rei veritate cesserit; quasdam verò servari sine peccato posse. In priore casu Lex nunquam obligat in conscientia, si præsumptio cesserit. In exemplo. Bertha contraxit matrimonium cum Titio, sed ob occultum impedimentum invalide. Perit igitur à Jure Ecclesiastico divortium. Judex urget impedimenti probationem. Bertha, licet sciat, probare nequit. Iusta itaque manere cum Titio, & reddere debitum, potius censuras sustinere debet, quàm sententiæ parere: cum nulla Judicis sententia possit obligare ad peccatum, uti perspicue desitum extat in cap. literas 13. de Restitut. spol. cap. inquisitioni 44. de Sent. excommunicat. In posteriore casu procedit questio, in præsentis §. proposita, quam distinctione in num. 284 prænotatâ, dissolvo, &

Dico I. Lex, in præsumptione facti fundata, 290 non obligat in conscientia, quando circumstantia, in cujus præsumptione Lex fundata est, cessat. Ita cum Suarez d. l. num. 9. asserunt quinque præclarissima Universitatis nostræ, duo Theologica, tria Juridicæ Facultatis membra, Eminentissimus Cardinalis Cælestinus Sfondrati in Disput. Jurid. de Lexe in præsumpt. fund. §. 4. num. 1. Benedictus Perichacher de LL. quest. 4. art. 4. f. m. 71. Paulus Mezger d. disp. 35. a. 3. num. 13. Robertus König ad tit. de Constitut. num. 35. Jolephus Bernardus Gletle d. l. quest. 3. num. 5. Ratio 291 est: ubi deficit adæquatum motivum & finis Legis, deficit quoque Legis obligatio, per vulgatum cap. cum cessante 60. de Appellat. Sed quando Lex innititur præsumptioni facti, deficiente circumstantiâ, cujus præsumptioni Lex alligatur, deficit adæquatum motivum & finis Legis. Ergo &c. Unde DD. passim similem Legem conditionatam vocant, ac tamdiu volunt obligatoriam, quamdiu conditio præ-

- 292 sumpta subest. Confirmatur ex prælaudato Cardinale. Veritas semper prævalet, & superat omnia *Esdra* cap. 3. & 4. cap. veritate 4. cap. si consuetudinem 5. *Dist.* 8. l. Imperatoris 29. §. un. ff. de Probat. Ergo & præsumptio, in qua Lex radicatur, cedit veritati: tum quia propter unumquodque tale illud magis tale; præsumptioni verò standum est propter veritatem; ergo multo magis veritati: tum quia præsumptio una tollit alteram, & fortior enervat debiliorem: & consequenter veritas, quæ fortior est omnibus præsumptionibus, præsumptionem elidit. Hinc
- 293 Deducitur I. eum, qui sententiâ Judicis injustâ gravatum se sentit, fore quod sciat, sententiâ ex falsis instrumentis, subornatis testibus, in favorem adversarii, calumniosè litigantis, fuisse latam, non teneri pro foro interno tali sententiâ obedire. Ratio est: quia Lex de obedientia Judicis, quidpiam decernenti, præstantia, fundatur in præsumptione hujus determinatæ circumstantiæ: si sententiâ iusta sit. Ergo qui sententiâ injustè prolatam esse cognoscit, non tenetur sententiæ parere. Dixi pro foro interno. Nam quia in foro externo sententiâ præsumitur iusta, debet condemnatus, ad evitandum scandalum, etiam in foro interno sententiæ stare, et cetera postmodum compensatione sibi consulturus, prout cum aliis idem Cardinalis d. §. n. 4. docet. Qua de re in *rr. de Proc. Jud. in tom. 2. cap. 17.*
- 295 Deducitur II. non obstante, quòd in Concilio Trid. Sess. 25. de Regular. cap. 19. constitutum sit, ut quicumque Regularis, qui se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante etatem debitam professum fuisse, aut quid simile, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis: posse nihilominus Religiosum, nulliter professum, si per viam restitutionis ad querelam nullitatis non admittatur, cessante scandalò, Religionem deserere.
- 296 Ratio est: quia Concilium se fundat in præsumptione facti particularis, quòd nempe intra spatium tam prolixum temporis Religiosus suam professionem ratificaverit; contra quam præsumptionem, licet forsitan probatio in contrarium directè non concedatur, attamen obligatio manendi in Monasterio pro foro conscientie nequit imponi. Card. d. disp. p. 2. §. 1. num. 10. cui adscriptur Sanchez, Henriquez, Rodriguez apud Barbosam in collectan. ad Concil. Trid. d. l. num. 15. dissentiente tamen Alesio Tambur. de Jure Abbas. tom. 3. disp. 6. quasi. 25.
- 297 Deducitur III. hæredem, qui inventarium conficere negligit, non teneri in conscientia creditoribus hereditariis ultra vires hæreditatis satisfacere; si nihil ex hæreditate clam surripuerit. Lex enim, quæ hæredi in proposito eventu obligationem solvendi & restituendi ex bonis propriis injunxit, fundatur in præsumptione facti particularis, quòd videlicet hæres clam aliqua bona de hæreditate subtraxerit; quemadmodum apertum

fit ex *Novell.* 1. cap. 2. in princ. ibi, & non per ea, quæ forte surripimus, aut malignatur. Item in §. 2. ibi: dabit eis penam exactio sua malignitatis. P. Engel ad tit. de Constitur. num. 38. Zoëli ad tit. ff. de Jure delib. num. 14. Et 298

licet non pauci contrarium asserant, rati, dictam Legem penalem esse; & in conscientia saltem post sententiâ obligare. Quia tamen ipsissima poena ob præsumptam fraudem inflicta legitur in cit. §. 2. non poterit habere locum, ubi fraus nulla intervenit.

Deducitur IV. debitorem, qui spe numerationis faciendæ emitit chirographum, & intra biennium non factâ numerationem, tacuit, non obstringi in conscientia post biennium, ut solvat, quod literis sponderat. Quantumvis enim aliqui doceant, debitori post biennium omnem exceptionem non numeratæ pecuniæ, tam privilegiatam, quam non privilegiatam, fuisse ademptam, omnique modo ad debitum solvendum compelli, propter l. si intra 8. l. in contrahentibus 14. in pr. Cod. de N. N. P. Atamen & communissima sententiâ est, citatas LL. in præsumptione solutionis, intra biennium factæ, radicatas, in conscientia non stringere, si revorà solutio non evenierit. P. Engel cit. l. num. 39. & verior quoque opinio tenet, in foro etiam externo exceptionem simplicem debitori competere, quâ onus probandi in se suscipere, & nullam sibi pecuniâ numeratam fuisse, demonstrare valeat arg. l. generaliter 13. Cod. d. r. & cap. quod ob gratiam 61. de R. f. in 6. Videatur Haunold de F. & F. tract. 9. num. 300. & Clarissimus Collega D. Franz ad tit. 22. lib. 3. Infirmus à num. 23.

Dico II. Lex in præsumptione Juris, seu periculi generalis fundata, obligat in conscientia, etiam in casu particulari præsumptio cessare videatur. Ita definiunt primæ conclusionis assertores. Ratio est: quâdiu stat motivum adæquatum Legis, tandiu stat, & perseverat obligatio Legis. Sed quando Lex in præsumptione Juris, & periculi generalis est fundata, stat adæquatum Legis motivum, etiam in casu particulari præsumptio cesset: nam periculum moraliter certum, quod avertere à Republica Lex intenderit, non tollitur ex uno vel altero casu singulari, quem aliunde non attendunt Leges l. 3. 4. & seq. ff. de LL. Ergo &c. Promovetur discursus 302

Quando duæ causæ ad unum effectum concurrunt, quarum utraq; sufficit ad effectum ponendum, licet una deficiat, non ideo tamen effectus deficiet, qui satis ab una earum pendere potest. Ergo cum obligatio Legis, in præsumptione fundata, duas habere causas valeat; nempe periculum ipsius facti malive in particulari, & periculum mali morale, seu generale: illa non cessabit, cessante quidem periculo in particulari, extante nihilominus periculo universalis & morali, quod Lex respexisse censetur. Planè, ut probè suggestit sit citatus Cardinalis d. §. 4. num. 2. periculum mali & ipsum malum utique duo distincta sunt,

sunt; quemadmodum aliud est præceptum, aliud est casus; nec semper cadit, qui in præcepto pendet: & tamen à præcepto & lubrico semper cavendum est. Pariter itaque, licet diversa sint periculum fraudis & ipsa fraus; neque semper fraus sequatur, tamen negotium fraudibus obnoxium suscipitur: nihilominus, quia à fraudibus semper cavendum, & abstinendum est, Lex, avertere fraudes fraudumque pericula volens, semper observanda erit. Res exemplis & illationibus particulariùs fiet illustrior. Unde

304 Inferitur I. matrimonium, clandestinè contractum, non valere, licet in casu particulari nulla intercedat fallacia. P. Paulus Mezger d. art. 3. n. 12. Ratio est: quia Concil. Trid. irrationem matrimonii clandestini non ex præsumptione facti particularis, sed periculi morali & universalis introduxit. uti ex Sess. 24. de Reform. Matr. cap. 1. dilucidè probatur: ibi: cum sancta Synodus animadvertat, & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugii ortum habent; præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt &c.

305 Inferitur II. Professionem Religiosam, ante 16tum etatis annum completum emissam, omni robore & valore deficiat; non habita consideratione, an Professus judicium factum firmum & maturum habuerit, atque status Religiosi obligationem & naturam plenè perspexerit, nec ne. Mezger cit. l. Ratio est: quia in invalido Professionis non ex respectu particularium personarum, sed prudenti præsumptione communis periculi & carentiæ sufficientis judicii, ac experientie, quæ communiter ante annum 16tum advenire non censetur, à Concil. Trid. Sess. 25. de Regular. cap. 15. constituta est.

306 Inferitur III. esto ante completum septennium infanti lux rationis affulgeat, & ut dicere solemus, malitia suppleat etatem, sponsalia tamen, ante consummatum septennium contracta, non esse firma & valida. Ita probabilior mihi sententiâ cum nostro Panormi-

tano in cap. juvenis 3. de Sponsal. & Magnifico D. P. Roberto König ad tit. de Desp. Impub. n. 5. docet. Ratio est: quia in cap. literas 4. cap. 307 accessit 5. de Desponsat. imsub. sponsalia ante prenatum fieri non posse, absolute decernitur: sine dubio eo ex motivo, quòd communiter ante hanc etatem discretio rationis illucescere non solet. Ergo hæc constitutiones in præsumptione fundantur, non facti, sed Juris; non singulari, sed universalis. Ergo obligant, etiam in casu particulari & extraordinario præcocitas ingenii septennium antevertat. Allam rationem suggerit celebratus Abbas; 08 d. num. 5. quòd in actibus. quibus etatem certam Leges præfixerit, nil agere, aut attentare liceat ante, quam etas requisita fuerit expleta. Unde ulterius

Inferitur IV. testamentum, ab impubere confectum; electionem, de Episcopo vel Prælato ante etatem canonicam illicitam; contractus, à pupillo vel minorene, absque interventu tutoris vel curatoris celebratos, penitus invalidos & inutiles haberi, quantumvis enumeratæ persone eò tempore, quòd hujusmodi sunt gesta negotia, defœcati iudicii morumque exactâ maturitate pollere videantur. Nam Leges & Canones, qui memoratos actus, in minori, quam oportebat, etate factos, tum prohibuerunt, tum irritarunt, non respexerunt personas singulas. Aut casus singulares; sed ex generali consideratione, quòd optimâ rerum magistrâ, experientiâ teste, competum sit, sufficientis judicium ante hos vel illos annos non advenire, generitum statuerunt, ut relata negotia, præpropere peracta, non valeant: quatenus & uniformitas sit in operando, & regula operandi ex communi usu & more delinatur. Legantur; 10 & expendantur textus in §. præerea 1. Infirmus. Quibus non est permixtum fac testam. l. à qua etate 5. ff. Qui testam. fac. poss. l. uti Cod. de Testam. milit. l. quod pupillus 41. ff. de Condit. indeb. l. pupillus 59. ff. de O. & A. l. uti. Cod. Quando tutor. vel curator. esse desinat. cap. cum in cunctis 7. de Elect. cap. licet canon. 14. eod. in 6. Concil. Trid. Sess. 24. de Reformat. cap. 12. & Sess. 15. de Regular. cap. 7.

§. IV.

An & quomodo Leges irritantes locum habeant in conscientia?

311 Ante questionis decisionem, adverto I. plurimas esse Leges, quæ certos actus prohibeant quidem faciendos, factos tamen irritos esse, non declarent. Et tunc valde communis est opinio, actum, contra Legem prohibentem positum, non invalidum sed tantum illicitum esse, spectatò Jure Canonico. Ita cum P. Suarez de LL. l. 5. cap. 25. num. 22. Mezger d. disp. 35. a. 3. num. 4. Pettichacher de LL. quasi. 5. art. 3. §. 117. Haunold de F. & F. tract. 1. num. 117. & plerisque Theologis sentiunt ex Canonistis Clariss. D. P. Petrus Guetrather Infirm. Can. lib. 1. tit. 3. n. 64. & 65.

Clariss. D. P. Jacobus Wiestner ad reg. 64. de R. f. in 6. Ducuntur potissimum textu cap. 12 ad Apostolicum 16. de Regular. ubi Innocent. III. multa, inquit, fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roborem firmitatem. Addunt, ex praxi Summorum Pontificum, actum aliquem irritare volentium, sollicitè annecti clausulam irritatoriam; idque & Tridentino Concilio in usu fuisse, liquet ex Sess. 24. de Reform. Matr. cap. 1. Confirmant sententiâ suam ex eo, quòd prohibere & irritare actum sint effectus admodum diversi: cum prohibere solum sit præcipere, & obligare, ut

actus non fiat; irritare autem non fit præcipere, sed facere, ac inefficacem impotentiam, aut inhabilem voluntatem, vel peribnam reddere.

314 Aliud docent Canisus ad d. reg. 64. de R. I. in 6. P. König ad tit. de Constitur. num. 26. P. Engel ad ennd. tit. num. 50. Gletle *Furisprud. fundam. Tit. 2. cap. 4. §. 2. num. 6.* hisque impense favere videtur Panormitanus ad c. cap. ad Apostolicam n. 11. Habent pro se I. Regulam 64. *Furis in 6.* quæ ita sonat: ea, qua contra *Fus sunt, debent utique pro infectis haberi.*

315 *I. l. non dubium §. in princ. Cod. de LL. ubi Imperatores discretè jubent, ut ea, qua Lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licet Legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est. Quæ tam liquida Juris Civilis ordinatio, tanquam in materia adaphora, legitime ad Jus Canonum traducitur.*

316 *III. rationem: nam omne, quod adversatur Legibus & constitutionibus publicis, irritari meretur cap. vides 10. Dist. 10. quia contemptor Legis, illius assistentiæ & comprobatione haud dignus est.*

317 *Ex his duabus sententiis posteriorem eligo: tum quia in utroque Jure fundata; tum quia ad concordiam Juris Canonici & Civilis, quæ Jctis singulari curæ & cordi esse debet per vulgata cap. 1. & 2. de N. O. N. ordinata est. Ita tamen, ut regulæ adinstar teneam, Leges prohibentes simul esse irritantes; atque uti ab aliis, sic ab ista quoque regula, exceptiones admittam, si vel actus ab ipsa Lege prohibente sustineatur, forte quod rescindi, evacuari, annullari, irritari &c. jubetur; vel actus non per se & ratione objecti, sed per accidens, ob circumstantiam planè impertinentem prohibeatur; vel agatur de Sacramentis, ubi, quæ non sunt de essentia, Sacramentum non faciunt nullum, sed illicitum; vel communis sensus & interpretatio prudentium actum pro valido agnoscat. Sicque intelligo oppositum cap. ad Apostolicam 16. de Regular. Nec obliuatur praxis Summorum Pontificum aut Concilii Tridentini. Apponunt siquidem Legibus irritantibus clausulas irritatorias, non ex necessitate, sed pro majori efficacia. Quid autem nocuus, quam nimiam cautelam non nocere? Ad Confirmationem Resp. esse quidem ex natura rei diversos effectus, prohibere tantum, & simul irritare; at tamen ex dispositione Juris regulariter conexos.*

318 *Advertito II. ex Legibus irritantibus, quasdam clandestinè, vel cum alio impedimento dirimente, esse illicitum: nam Lex Divina prohibet, ne materia & forma Sacramenti periculo nullitatis & irreverentiæ exponatur, uti in administratione aliorum Sacramentorum conspicitur. II. Professionem Religiosam non tantum invalide, sed etiam illicitè fieri ante legitimam ætatem: quia DEO per invalida Vota illudere velle, grave sacrilegium est. III. electionem sine forma canonica*

bentes, uti post alios insinuat P. Engel locò citando.

De Lege pœnali irritante eodem modo discurrendum est, quod discurrimus in §. 2. hujus sect. de Lege pœnali in genere. Petrichacher cit. quest. 5. art. 3. f. 174. Mezger d. art. 3. n. 8. De Lege purè irritante discurrendum est, an jubeat actum irritari, rescindi, evacuari; an per semetipsum actum irritum & nullum declaret. Primò casu similiter non obligat ante sententiam, quemadmodum de Lege pœnali ferendæ sententiæ memoratò locò conclusum est; hujusque exempla extant in *l. ait prator 1. l. si mulier 21. §. ult. & passim. ff. & Cod. quod metuis causa l. rem majoris pretii 2. l. si dolo §. Cod. de Rescind. Vendit. Nov. 115. cap. 3. circa fin.* Secundò casu quid dicendum sit, sequentes conclusiones palam faciunt. Interim

Advertito III. Legibus irritantibus subinde conjungi prohibitionem tacitam vel expressam actus irritabilis; subinde solam irritatorem absque prohibitione poni. Expressa prohibito conjungitur, quando actus ab initio prohibetur; deinde, si factus fuerit, etiam irritatur. Hæc ratione Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 15. Professionem Religiosam ante completum probationis, & anni 16. spatium, vetat fieri, factamque ut faciendam irritat.

319 *Tacita prohibito connectitur, quando actus ex objecto suo talis est, ut vel solum velle actum facere, quando valide fieri non potest, involvat aliquam turpitudinem; vel ratione materiæ sacræ, ut si quis velle efficere sacram actionem modò irritò: vel ratione Religionis, ut si quis explicatò modò ante legitimam ætatem vel exactum Novitiatus annum Vota solemnia nuncupare attemptet: vel ratione injustitiæ, ut si electio contra formam, à Jure Canonico præscriptam, instituitur. Post hæc*

Dico I. Quando Lex irritans expressam, vel tacitam prohibitionem habet annexam, obligat in conscientia ad omissionem actus; secus, non obligat. Sic quoad rem statuunt Suarez d. l. 5. cap. 20. à n. 4. Petrichacher d. quest. 5. f. 182. g. 4. Mezger d. art. 3. num. 6. Palao de LL. disp. 2. punct. 11. num. 1. & segg. Ratio primæ partis est: quia facere actum contra Legem prohibentem, est facere actum peccaminosum. Ergo facere actum contra Legem irritantem, cui tacita vel expressa prohibito conjugata est, est facere actum peccaminosum. Ergo talis Lex obligat in conscientia ad omissionem actus. Ex quo

Colligitur I. contrahere matrimonium clandestinè, vel cum alio impedimento dirimente, esse illicitum: nam Lex Divina prohibet, ne materia & forma Sacramenti periculo nullitatis & irreverentiæ exponatur, uti in administratione aliorum Sacramentorum conspicitur. II. Professionem Religiosam non tantum invalide, sed etiam illicitè fieri ante legitimam ætatem: quia DEO per invalida Vota illudere velle, grave sacrilegium est. III. electionem sine forma canonica

attendere, similiter & nullitati & culpæ obnoxium esse: nam electores ex officio & justitia tenentur electionem validam adornare; sique eligendo nulliter, contra officium & justitiam peccant.

327 *Ratio secundæ partis est: quia Lex non præceptiva aut prohibitiva non obligat in conscientia determinatè ad actum; sicut ex §. 2. notum est. Ergo si Lex irritans nullam prohibitionem continet, non obligat ad omissionem actus irritabilis. Unde*

328 *Sequitur I. non peccare, qui testamentum condit, quod solemnitatibus caret, atque ob hanc carentiam est invalidum. II. non delinquere, qui ultra 100. solidos invalidè (quia sine insinuatione) donat. III. non offendere DEUM vel Rempubicam, qui sine verborum scrupulosa solemnitate, adeoque nulliter, stipulatur. Hi namque & alii actus nec tacite, nec expressè prohibiti reperiuntur.*

329 *Dico II. Quando Lex est simpliciter irritans, ante sententiam in tantum obligat in conscientia, ut ex acta invalido nullum commodum vel emolumentum percipere liceat. Ita quoad sensum docent Suarez d. l. 5. cap. 24. num. 4. & segg. Mezger d. art. 3. num. 7. & 9.*

330 *Engel de Constitur. n. 54. & segg. Ratio triplex est I. Lex simpliciter irritans est vera Lex; adeoque vim obligandi habet in conscientia. Sed ex num. 324. non obligat ad omissionem actus irritabilis per se. Ergo obligat ad non percipiendum commodum ex actu, si invalidè ponatur. Secunda:*

331 *actus, simpliciter irritatus, perinde habetur in genere moris & in ordine ad humanum commercium, ac si nunquam esset positus: ideò enim Legibus irritantibus adjiciuntur clausulæ: pro infecto, pro imperfecto, pro nullo &c. quia actus adversè non considerantur tanquam in rerum natura existentes. Atqui si actus nunquam fuisset positus, v. g. contractus nunquam initus, non posset quispiam ex contractu aliquid juris aut commodi sibi arrogare. Ergo nec tum juris aut commodi quidquam lucrari potest, quando contractus & actus simpliciter est irritatus. Tertia:*

332 *ad omnem actum, ut valeat, subsistat, & operetur effectus juridicos, voluntas simul & potentia concurrat, necesse est. Textus elegans in cap. cum super 23. in fine de Off. & pot. Jud. deleg. & pulchra instantia ex rebus physicis, ubi experimentò didicimus, ex sola voluntate non moveri lapidem, si pondus virium potestati resistat. Ergo tamen quis actum Lege irritatum celebrare velit, non poterit tamen aliquem effectum juridicum producere, ratione cujus ex actu invalido vel leve commodum percipere liceat: quia Lex resistit, ac voluntatem reddit impotentem & inefficacem. Neque ambigendum, Legi & Legislatori, cui voluntates subditorum subordinatæ & subjectæ sunt, facultatem annullandi contractus & actus voluntatis competere: id enim clarescit ex Concil. Trid. d. sess. 24. de reform. matrimoni, cap. 1. Ut con-*

clusio, generalibus terminis proposita, per casus & exempla lucem & robur capiat,

Infero I. hæredem, in testamento insolemni invalidè institutum, non posse tutam conscientiam hereditatem vel adire, vel aditam retinere. Si enim textus in §. ex eo autem 7. & §. 8. Inst. quib. mod. test. infirm. l. ex imperfecto 23. ff. de Leg. 3. l. hæc consulti summa 21. in fine pr. & §. 1. Cod. de Testam. l. fideicommissum 7. Cod. de Condi. indeb. l. si post 4. l. cum testamentum 8. Cod. de Juris & facti ignor. profundius inspiciantur; propum & planum erit judicare: testamentum insolemnia omni valore, robore, & efficacia fuisse destituta; adeò quidem, ut nec Princeps tulle legatum capere; & si legatum errore facti sit præstitum, hæres condicere possit. Covarruv. in cap. cum esset 10. de Testam. num. 12. & segg. P. Paulus Mezger cit. l. n. 9. P. Engel d. l. a. n. 54. P. Haunold de l. & l. 1. rr. 6. n. 20. & segg. Struv. ad ff. Exer. cit. 32. rb. 16. Gletle pars. 5. quest. 2. num. 4. Clariss. D. P. Joannes Baptista Ebberth pars. 2. controv. 19.

333 *Neque dubium movet, quòd æque plures sint, qui defendant, testamentum in foro animæ subsistere, in specie Molina de l. & l. disp. 81. n. 16. & segg. Lessius de l. & l. 2. cap. 19. dubit. 3. num. 13. & segg. Fachinus lib. 4. controv. cap. 5. Zoëli ad tit. ff. qui test. fac. poss. n. 43.*

334 *Horum enim argumentis ex l. non dubium 16. §. 1. Cod. de Testam. l. est 2. Cod. de Fideicommiss. facile satisficit, dicendò: non competit repetitionem eorum, quæ ex testamento imperfecto ab hærede sciente, & ultro agnoscite voluntatem defuncti, soluta sunt: quia donata fuisse præsumuntur. Quòd verò aliqui putent, Leges testamentarias esse fundatas in presumptione, ex doctrina, à n. 284. explicatà, distinctionem & solutionem recipit.*

Infero II. alienationem rerum Ecclesiasticarum, absque Canonica solemnitate susceptam, non tribuere recipienti potestatem, easdem res in foro animæ retinendi. Covarruv. var. resol. lib. 2. c. 17. n. 1. & 2. P. Engel d. l. num. 58. P. König ad tit. de Reb. Eccles. non alienand. num. 30. in fine. Siquidem in cap. hæc consulti summo 2. d. tit. in 6. Gregorius X. alienationes insolemnes a deo viribus carere, decernit, ut nec jus aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam parent.

335 *Gregorio supra. P. Paulus II. qui in Extrav. ambiciosa eod. i. inter commun. non solum alienationes istas nullius omnino valoris vel momenti esse declarat, sed excommunicationis sententiam tam in eas, qui alienant, quam in illos, qui res alienatas recipiunt, promulgat. Quod tanè non potuisset, aut voluisset Pontifex, si recipiens in conscientia securus esset: cum ex recepta sententia non liget excommunicatio, nisi peccatum mortale præcesserit. Dissentiunt multi cum Sylvestro l. alienatio n. 13. P. Pirhing ad cit. tit. n. 46. P. Wiestner ib. n. 91. Quorum fundamenta ex præcedentibus rationibus à num. 324. everrenda sunt.*

Infero III. Prælatum Ecclesiasticum, non

ritè electum, non posse retinere munus, sibi delatum, esto ceteroquin dignus sit. Suarez d. l. 5. cap. 24. n. 9. Engel d. l. n. 58. Nam in cap. quia propter 42. de Elect. electio aliter, quam ibi præscriptum est, facta, non valere dicitur. 350 Similiter in Concil. Trid. sess. 25. de Regular. ap. 6. postquam de Electionibus Regularium S. Synodus decreverat, ut per vota secreta fiant, singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, voces & suffragia absentium per presentes Superiores non suppleantur, subiungitur: si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit; & is, qui ad hunc effectum se in Provinciali, Abbate, aut Priore creati permiserit, deinceps ad omnia officia, in Religione obedienda, inhabilis existat &c. Præterea in

§. V.

Quomodo obligent Regulae SS. Ordinum?

352 Ordinum Religiosorum Patriarchæ, ut certius & compendiosius suos clientes ad perfectionem charitatis, quæ omnium mortalium scopus & centrum est, perducent, præter Leges communes, Divinas & Ecclesiasticas, peculiarias quasdam Ordinationes & Regulas, veluti triticissimos & securissimos trames, constituerunt. Has inter quatuor duntaxat antiquitus erant approbatæ Regulae, Basilii, Benedicti, Augustini, Francisci; his verò tractu temporis accessere plures, quemadmodum constat de Constitutionibus PP. Societatis JESU, de quibus & aliis Religiosorum statutis eruditè scripsit noster Afcianus Tamburinus de Jure Abbatum tom. 2. diff. 24. quæst. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & Clariff. D. P. Wex in Epitome Canon. de Pralat. Regular. parte 1. cap. 2. §. 2. à n. 9. 354 Quam obligandi vim contineant memoratæ Religiosorum Ordinum Regulae? Quærere & discutere amant, tam il, qui Regulas commentariis illustrant, quam alii, qui de Legibus generatim tractant. Horum vestigiis insistere, quamve virtutem & energiam obligativam præcipuè Regulae includant, demonstrare lubet. Et quidem ut à Regula S. Basilii ducam exordium; illa singulari elogio unâ cum Authore extollitur à D. Benedicto sub finem suæ Regulae, quod sit bene viventium & obedientium Monachorum exemplar & norma: ex quo consecutaneum videri posset, illam Regulam ad instar aliarum Legum, quarum ibidem est mentio, obligare. Quia tamen, exceptâ Hispaniâ, vix hodie reperiuntur alibi Basiliani, ut notat Illustriff. Caramuel Theol. Regular. part. 4. n. 1889, huic negotio me non immisceo. 356 De Regula D. Augustini sentit Hugo Victorinus apud cit. Caramuelem part. 5. n. 1857, illius ordinationes morales esse, atque in conscientia obligatorias. Nam ad illa verba Regulae cap. 1. hac igitur sunt, quæ, ut observatis in Monasterio constituti, præcipimus: ita scribit memoratus Expositor: „Audiamus ergo sacra

cap. innotuit 20. d. l. abundè insinuat Innocentius III. electum invalidè, ob impedimentum legitimorum natalium, absque dispensatione dignitatem oblatam, salvâ conscientia, accipere non posse. Estque communis sententia, talem electionem ipsò Jure nullam esse, prout in terminis tradunt Afcianus Tamburinus de Jure Abbat. tom. 1. diff. 5. quæst. 5. n. 4. & quæst. 22. per tot. Barboia in collectan. ad d. c. quia propter de Elect. num. 30. Fagnanus ad id. cap. num. 1. & seqq. Gonzalez ibid. num. 8. Licet sententia contrariâ probabilis sit, ac frequenti DD. calculo comprobata, uti videre est apud P. Wiestner ad cit. tit. n. 192. & Passerinum de Elect. cap. 9. n. 33.

„præcepta pii Domini; & memores simus „mandatorum ipsius ad faciendum ea. Quia, „sicut dicit beatus Jacobus: si quis in Lege perfectus perseveraverit libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed saltor operis, hic beatus in factu suo erit. Et Dominus in Evangelio: beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud.

Verùm quia hæc loquendi ratio supponit, 357 singula Regulae Augustiniana: capita ad Legem Divinam spectare: è contrario autem constat, plura in eadem Regula inveniri, quæ humanâ Authoritate sunt ordinata: hinc verosimilius cum allegato Caramuele arbitror, extra materiam Votorum & præceptorum Divinorum, Regulam D. Augustini ad acutum in conscientiam non obligare. Hocque 358 arbitramentum stabiliri potest ex cap. ult. Reguli S. Patris sic concludit: Donec Dominus, ut observatis hæc omnia, tanquam spiritalis scribitur dicitur amatores, & bono Christi odore de bona conversione fragrantés: non sicut servi sub Lege (ergo non cum onere & jugo tot obligationum) sed sicut liberi sub gratia constituti. Pro cujus confirmatione servient oportune, quæ postea de Regula Benedictina producentur in medium.

Regulam S. Francisci Patris Seraphici obligare in conscientia sub mortali toties, quoties verba illius continent præceptum formale aut virtuale seu æquipollens, liquet ex declaratione Clementis V. in Clem. exivi 1. de F. S. Emmanuel Rodriguez Quæst. Regular. tom. 1. quæst. 11. art. 7. Cùmque talis præcipiendi modus 25. vicibus in memorata Regula occurrat, 25. casus sunt, in quibus obligatio sub mortali contrahitur. Vide allegatum Caramuelem Theol. Regular. part. 6. à n. 1997.

De Constitutionibus Regularibus Societatis JESU, quod in conscientia ad nullam culpam obligent, attestatur P. Amicus de LL. diff. 5. sect. 7. in init. quin & in 6. part. constituit. cap. 5. in fine definitum esse, refert P. Palao de LL. diff. 1. punct. 9. n. ult. quod nulla

Supra

Superiorum præcepta, quantumcunque rigorosè prolata, stringant in conscientia, nisi addantur verba: in virtute Obedientia, vel in virtute Spiritus Sancti.

361 Circa Regulam S. Benedicti non unâ omnium mens & sèpsus est. Nonnulli, sed paucissimi, usque aded rigidi esse referuntur, ut Regulam sub mortali, extra materiam Votorum, obligare, contendunt. Contra quos, nullâ solidâ ratione armatos, vel unica illa D. Thomæ sententia fortiter militat: stultum esset, putare, quod Monachus, frangens silentium, post completorium, peccaret mortaliter, nisi faceret hoc forte contra præceptum Pralati, vel ex contemptu Regulae. Alii, & sât multi, definiunt, Regulam extra Votorum materiam obligare sub veniali; ex quorum numero legitur fuisse Abbas in cap. velatum 7. ne Clerici vel Monachi num. ult. Tamburinus de Jure Abbat. tom. 3. diff. 4. quæst. 4. Hefftenus Lib. 2. tit. 8. diff. 1. propos. 2. quibus novissimè accesserunt Clariff. P. Guetrather Instit. Canon. Lib. 2. tit. 7. num. 62. Eximius P. Joannes Evangelista Rottner in Theosis Theol. sub titulo: Flos Campi editis, quæst. 13. Habent pro se argumenta non modica, in num. 202. adducenda. 363 Non pauciores, si non plures, asseverant: Regulam, extra Votorum materiam non obligare per se loquendò sub veniali. Ex his legi Illustriff. Joannem Caramuel cit. Theol. Reg. part. 1. diff. 7. art. 2. & 3. Illustriff. August. Reding de LL. q. 16. a. 3. contr. 2. Reverendiff. Antonium Perez in comment. Regul. in prol. divis. 5. Clariff. P. Paulum Mezer cit. loc. art. 1. num. 9. Eximium P. Alphonsum Wenzl de LL. quæst. 4. §. 4. in Coroll. Cum quibus & ego sentio, ac

364 Dico: Regula S. P. Benedicti, extra materiam Votorum substantialium, non obligat per se loquendò sub veniali. Probari potest conclusio I. ex ratione Caramuelis cit. l. n. 89. Religiosi Benedictini non promittunt obedire Regulae, sed Prælo: nam juxta formulam Professionis, ab ipso S. Patre in cap. 58. Reg. præscriptam, ita proficentur: Ego N. promitto stabilitatem, conversionem mortuorum meorum, & obedientiam secundum Regulam S. Benedicti. Idque mellifluus Interpres Bernardus de præcept. cap. 7. exponens: sic se, inquit, habet Professio: Promitto non quidem Regulam, sed obedientiam secundum Regulam S. Benedicti. Ergo vi Professionis Religiosi Benedictini non tenent servare Regulam, sed se convertere, ac obedire secundum Regulam, ubi Superior mandaverit. Ergo, si Regulam transgrediantur, non peccant in conscientia. Hinc præcatus Clavevallentis Abbas d. l. cap. 11. cetera, ait, quæ leviora dicuntur: ex his verbis gratia dico esse, vel visum interdicitum, vel indictum silentium. Hac sequidem si contra mandatum non veniant, peccata non sunt: accedente autem mandato, si quo minus observentur, in peccatum reputantur, non tamen in crimen.

367 Probari potest II. ex alia ratione Caramuelis num. 88. Si daretur in Regula præceptum

aliquid obligans in foro interiori, esset maxime illud, quod de abstinentia carniū exponebatur cap. 29. Atqui hoc est consilium, non præceptum. Nulla igitur in Regula sunt præcepta. min. prob. si daretur præceptum de jejunio, id obligaret in Ordine sub peccato mortali. Atqui jejunium & abstinentia Regularis in ordine Benedictinorum non obligant ad culpam gravem in omnium opinione. Ergo non datur de jejunio & abstinentia sanctio præceptiva in Regula. maj. prop. ex præcepto & materia gravi nascitur obligatio sub peccato mortali. Atqui hic materia est gravis: quia etiâ jejunia Ecclesiæ sunt materia gravis, & obligant sub gravi. Ergo quia Regula quoad jejunium non obligat sub gravi, signum est, Legem illam potius esse consilivam, quam præceptivam.

Probari potest III. ex fundamentis Redingii. Si Regula obligaret in conscientia, id proveniret vel ex virtute Jurisdictionis, vel ex vi Professionis. Non primum: quia S. Pater, dum Regulam, dicente Spiritu S. partim in Sublaco, partim in Monte Cassino concinavit, necdum habebat Jurisdictionem Ecclesiasticam. Et licet à SS. Pontificibus postmodum confirmata sit Regula, attamen non tam novam obligandi virtutem, quam approbationem & encomium, quod rectissima & certissima piè beatèque vivendi sit norma, acceptit. Non secundum: quia, ut in prima ratione probatum est, professio non obligat ad Regulam, sed secundum Regulam.

Probatum IV. Quando verba aut præceptiva non sunt, aut dubia, aut aliunde de mente Legislatoris, spectatis omnibus, sufficienter non constat, tunc benignior interpretatio faciendâ, & potius delenda quam adstruenda est obligatio ex dictis in n. 126. & seq. ac n. 137. & seq. Atqui verba Sacra Regulae aut præceptiva non sunt, aut dubia, aut saltem de mente Sacri Legislatoris sufficienter non constat, quod obligationem in foro animæ imponere voluerit. Ergo &c. Prob. min. Verba Sacra Regulae in plerisque constitutivis & capitulis vel sunt purè pœnalia, vel disjunctivè mixta, vel in imperativò modò concepta, uti sedulo Lectori grave non erit indagare: neque perferuntur singulos apices, extra materiam Votorum aut Legis Divinæ, occurrent verba formaliter aut virtualiter præceptiva: v. g. jubeo, impero, mando, prohibeo, veto, teneantur &c. Ergo verba Sacra Regulae vel præceptiva non sunt, vel dubia. Quin & ipsè dilectissimus Pater 372 noluit conscientiam novos ponere laqueos, sed pœnam temporalem Regulae transgressoribus sufficere credidit. Eaque de causa in cap. 46. dum enumerat excessus, contra Regularia statuta admittos, contraponit & distinguit illos peccatis animæ; neque ista, ut illos publicè corripit, sed in secreto Abbati vel spiritualibus Senioribus patefieri jubet.

Sunt igitur Regulae nostra constitutiones aut simplices Religiosæ perfectionis ordina-

ones;

ones; aut Leges partim purè pœnales, partim mixtæ, obligantes transgressorem ad pœnam, in conscientia post sententiam Prælati subeundam; debentque, advertente Caramuele *cit. l. num. 98.* explicari in sensu hypothetico: *aut facias ea, quæ constituta sunt in Regula, aut si non feceris, disciplina Regulari sub-*

374 *Ajacet.* Quod nemo melius perculluit, nemo clariùs & doctiùs dilucidavit, quam Princeps Regulæ Benedictinæ Scholiasies Bernardus de *precept. cap. 14.* ubi sic loquitur: *Professus quisque, cum in aliquo forè Regularium mandatorum deliquerit, sed si ad remedium aque Regulari confugerit, etsi convincitur transgressor mandati, non tamen pacti prævaricator. Solus itaque confiteri, fregisse votum, violasse propositum, pactum prævaricasse, qui peccatum contempserit, & remedium. Nam illum sanè dico secutum, qui, etiam si interdum obedientiam limitem præterit, consilium non respuit penitentia. Regulares namque terminos, etsi sæpe deliquerit, non evadit, qui censura, qua ex Regula est, disciplinam non subito fugit.*

375 Utque fluctuantes ac pusillanimes Religiosorum animos præfatus Doctor erigeret, addit eod. loc. *cap. 15.* cui *jam ita professo impossibile, imò per DEI gratiam non per facile est, cavere prævaricationem, ubi non inobedi- tiam, sed impotentiam facit prævaricationem? Hoc quippe (ut jam dixi) presertim homo funderet, ut non jam peccet, & ob hoc non continuo, ut quicquam aliquò modo non obedi, prævaricatorum se constituit: nisi, qui sic forè se professum falso existimat.*

376 Oppones I. Regula S. Benedicti habet omnes conditiones, ad Legem propriè talem requisitas: est enim rationalis, utilis, honesta, discretæ, possibilis &c. Ergo, sicut aliæ Leges, obligat in conscientia.

377 *II.* ubi sunt verba præceptiva vel prohibitiva, neque Legislator expresse aut virtualiter ostendit voluntatem obligandi, ibi est obligatio in conscientia. Atqui in Regula S. Benedicti sunt verba præceptiva & prohibitiva: nam in prologo exordii locò ita perorat: *Ausulta è Filii! præcepta Magistris.* Deinde in *cap. 8.* de Professionis Candidato habetur: *si habità deliberatione promiserit, se omnia custodire, & cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in Congregatione.*

378 Neque sanctissimus Præceptor expresse aut virtualiter ostendit voluntatem obligandi, quin potius in eod. prol. dehortatus est: *ne malis actibus nostris contristemus DEUM;* sicque transgressiones Regulares coram DEO 379 *quoque culpabiles esse, indicavit.*

III. in *cit. prol.* insinuat D. Patriarcha, quod nihil asperum, nihilque grave continere velit; nihilominus, si quid pusillum restitit, dilantè, aequitatis ratione, propter emendationem viciorum, vel conservationem charitatis processerit, monet recedens ad Religionem convertum Tyronem & Filium, ne illico pavore perterritus refugiat viam salutis, qua non nisi angustò introitu incipienda &c. Adeoque aperte significat, medià & regià vià se profecturum, non declinandò ad graves conscientie obligationes, sed intra li-

mites venialium culparum manendò. IV. 380 in *cap. relatum 7.* Ne Clerici vel Monachi &c. factà relatione, quòd Monachi de N. vivant seculariter, & alios exemplò corruptant, mandat, Alexander III. Londoniensi Episcopo, quatenus eos ad observantiam Regulæ, appellacione remota, compellat. V. hæc sententia videtur; 381 nimium laxa, ac contra morem, quò solent inflicti Novitii in Tyrocinio Religiosò, defendi.

Resp. ad I. Regulam nostram habere om- 382 nes conditiones, ad Legem requisitas, præter voluntatem & potestatem obligandi in conscientia. Rationes jam dedimus.

Ad II. triplex est responsio. I. quòd Re- 383 gula continet præcepta tum Naturalia tum Divina, non quidem formaliter, quasi videlicet ipsa Regula ejusmodi præcepta primitiùs advenisset; sed materialiter, quasi aliunde iam tradita, ac hominibus secularibus etiam præscripta, singulariter à Religiosis observanda proponat. II. quòd præcepta, 384 quorum meminit S. Pater, non sint in Regula, sed secundum Regulam. Volo dicere: Abbatem posse præcipere cuncta, quæ ordinantur in Regula; nec posse Religiosum, qui vivit obedientiam, simile præceptum recitare.

III. quòd præcepta Regulæ quæ 385 talia non sint simpliciter præceptiva, sed vel merè pœnalia, vel disjunctivè mixta vel hypothetica. Quæcumque verò responsione uti libuerit, fiet oppositio satisfacta. Quòd autem moneamur, ne malis actibus nostris contristemus DEUM, non de actibus, qui præcisè Regularibus statutis, sed votis aut præceptis Divinis adversantur, exaudiri debet, uti contextus & connexio materiæ probat.

Ad III. Resp. mediam & regiàm viam, 386 quam tenuit Legislator noster, esse virtutem discretions, quæ exercitia, functiones, & correctiones Regularium tam dextrè moderari & temperare voluit, ut & nimium rigorem evitaret, & tamen disciplinæ Regularis vigorem conservaret. Nihil ergo de obligatione in conscientia, nihil de culpa veniali statuere intendit, probè gnarus: non solum vitia emendari, si occasiones peccandi, quantumvis remotæ, statutis pœnalibus præcandantur; sed etiam charitatem conservari, si, quod negligentia commissum est, penitentia & humilitate refarciatur. Unde sæpius adductus Bernardus, invenimus, ait, in ea (Regula) & præcepta obedientia, & inobedientia remedia, ut ne peccandò (id est, non observandò) à Regula recedatur.

Ad IV. Resp. Monachos ad observantiam 387 Regulæ compellendos esse, tam ab ipso Abbatè, cui per viam obedientiæ secundum Regulam subditos sibi filios ad perfectionis orbitam manuacere incumbit; quam illius Superiore, qui negligentias inferiorum supplere tenetur. Cæterum ille textus ex *cap. 388 relatum est extra rhombum, utpote cum de substantialium Votorum observantia, ac de Monachis, à seculari & scandalosa Vita ad*

Keli-

Religiosam traducendis, loquatur; uti vel obiter consideranti pervium & perspicuum erit.

- 389 Ad ultimum Resp. Caramuel, hanc doctrinam esse probabilissimam, & nihil alterare præticè: Abbas enim, qui velit Religiosos suos moraliter ad Regulæ observantiam teneri, potest mentem suam explicare, & facere, 390 ut Regula obstringat conscientias. Interim, cum in ipsa Regula sint multa consilia & pia monita, quemadmodum in primà prologi periodò indicatur in *v. & admonitiones pii Patris libenter excipe &c.* nequit Prælati præcipere, quòd nec Regula præcepit, sed consuli tantum, aut monet. Confer Caramuelem *cit. loc. num. 97.*
- 391 Dixi tamen in conclusione I. extra materiam Votorum. Quòd enim transgressio Votorum essentialium peccaminosa sit, ac iuxta qualitatem subjectæ materiæ gravis vel levis,

§. VI.

Quanta, & quàm rigorosa sit Legis obligatio?

- 392 **H**actenus de Legis obligatione in conscientia, quatenus vel actum vel pœnam respicit, disputavimus. Executendum restat, quanta, & quàm rigorosa sit Legis obligatio? Sive: quondam obligatio sit gravis, aut levis? & obligetne Lex cum gravi dispendio aut periculo? In prima questione
- 394 Conveniunt DD. I. quòd gravitas obligationis sit mensuranda à gravitate materiæ; adèd ut, si materia sit gravis, gravis etiam obligatio per Legem inducitur censetur; si materia sit levis, levis quoque obligatio imposita videatur. Ratio est: quia ad eum ferè modum, quò obligatio dicitur esse fundamentum pœnæ, materia est fundamentum & radix obligationis. Sicut ergo inter obligationem & pœnam proportio intercedat, necesse est: sic etiam inter materiam & obligationem. Ergo sicut obligatio seu culpa gravis recipit pœnam gravem; levis levem: sic materia gravis recipit obligationem gravem; levis levem.
- 395 Conveniunt II. gravitatem materiæ non tantum desumi ex latitudine propria in suo genere & objecto; sed etiam & præcipuè ex habitudine & connexione, quam habet in ordine ad finem, à Legislatore intentum. Cum enim materia non cadat sub Legem, nisi prout substat fini, per Legislatorem intento: hinc neque recipit obligationem gravem vel levem, nisi gravis vel levis obligatio ad finem Legislatoris graviter vel leviter conducere 396 videatur.
- E. G. comestio pomi, intra genus & objectum comestionis spectata; item commixtio aquæ modicissimæ cum vino, intra sphaeram mixtionis considerata; leves materiæ sunt: quatenus tamen comestio pomi, Adamo prohibita, substat fini Legislatoris Divini, ut nempe deserviret in protectionem dominii ex parte Creatoris, & si
- in omnibus Religiosis Ordinibus pro certa & catholica veritate haberetur. Et idèd, dum D. Benedictus in *cap. 8.* solemnia Vota coram DEO & Sanctis ejus emittendis egerat, mox subdidit: *ut si aliquando sciat, quem irridet.*
- Dixi II. per se loquendò. Nam quia Votum 397 Conventionis, quò Religiosus Benedictinus mores secundum Regulam reformare promissit, obligat eundem ad habendam voluntatem conformiter Regulæ vivendi: hinc est, quòd Religiosus aut mortaliter peccet, si Regularia statuta contemnat; aut venialiter, si absque causa rationabili & altioris virtutis dictamine illa transgrediat: vel quia talis transgressio erit actus otiosus; vel quia remotè saltem & indirectè disponat ad contemptum Regulæ. Videatur P. Paulus Mezger, *cit. a. 1. num. 10.* & Antonius Perez *cit. div. 5. num. 122. & seqq.*

Conveniunt III. ad intelligendum, cen-

sueritne Legislator, materiam ad finem, à se

intentum, sub obligatione gravi vel levi præ-

cipi debere, tum verba, tum pœnam, tum

consuetudinem, spectanda esse. Verba: quia

internorum sensum arcana pandunt. Unde

si dicat: *prohibeo sub incriminatione Divini**judicii, sub indignatione DEI & Sanctorum, in**virtute S. obedientia &c.* prudeniter judicamus, ob-ligationem gravem esse. *Pœna:* nam, ut, 398

habet Jurisperitorum maxima, tantum est ma-

lum passionis, quantum erat malum actionis:

sive pœna proportionatur culpæ. Reviden-

tur tamen dicta in *num. 267.*

399 *Consue-* endo: sicut enim Legis, sic obligationis Lega-
lis, sincerissima & certissima est interpres.

Conveniunt IV. materiam levem non re- 400
cipere obligationem gravem. Ratio est: quia
obligatio gravis non recipitur, nisi in subiecto
capaci. Sed materia levis non est subiectum
capax obligationis gravis, hòc ipso, quòd
aut honestati, aut fini, à Legislatore intento,
graviter non repugnare supponatur. Ergo &c.
Sed

Disconveniunt, ac summopere concertant: 401
an materia gravis nequeat recipere levem
obligationem? Affirmat enim Suarez *Lib. 3.*
de LL. cap. 27. num. 7. Gibalinus *Scientia Canon.*
Lib. 4. cap. 8. §. 3. Pettichacher de *LL. q. 3.*
arr. 5. concl. 2. Gletle *p. 1. ff. q. 3. num. 11.* Ne-
gant Sant-Gallenenses *Sect. 3. q. 1.* Azor, Vas-
quez,

I